

Vt velut is vivit, sic nos vivamus, & omnis,
Qui studet affectus vincere, victor ovet.
Nihil prodest homini Christi victoria in hostes,
Qui se hostem novit vincere, victor erit.
Vince animos, te vince, tibi victoria Christi
Ut profit, cordi consere bella tuo.
AT tu festa dies salve, salve inclyte Victor,
Spes vitæ, mortis plaga, ruina stygis.
Aspice, quos miscent humana negotia motus!
Lucis, in errorum flexibus, orbis eget.
Nostra salus & honos agitur tuus, ille vel illa
Siquis cadit, heu quorsum tot mala passus eras?
Sed non tot frustrâ potuisti ferre labores,
Ergo simul serva nosq; tuumq; decus.

FINIS.



MEDITATIO
PASSIONIS DN:
N. I. C. DEI ET MARIE
Filij. Scripta

Ad amplissimum Consulem, & pru-
dentissimos Reipub: Nouopragen-
sis Senatores.

per
Venceslaum Iuniorem Cyrillum
à Kyršfeldo.



Pragæ, Excudebat Iohannes
Schumann anno 1591.

EPIGRAMMA

Qui suspendendus fatali robore Syloh,
 Quæ passus moriens iste Libellus habet.
 Hæc etenim cecinit Vencslâi Musa Cyrilli,
 Cuius devoto iure legenda Viro.
 Solers miratur passim Germania Bæmos,
 Quod pangant docili carmina culta lyrâ.
 Contemnit patrium nec terra Bohema Poëtam,
 Reddere sed Musis præmia justa negat.
 Non labor est toto, cui desint præmia mundo,
 Quàm labor insomnis Calliopea tuus.
 Hinc medio frigent cursû, à cæptisq; recedunt:
 In casum fervens quando abit alget opus.
 Quis vellet dempta numeros spe cudere lucri?
 Quis vellet parto ferre labore famem?
 Hinc studijs spretis inhiat, ceu corvus opimæ
 Prædæ, divitijs, quos vagus orbis amat.
 Hinc malè sana cohors vulgari scommate ludit:
 Dat Carmen stramen, dat tibi Musa famem.
 Quare ferte viri, Plutus quibus incubat auro
 Cóngesto, auxilium, quos pia Musa fovet.



*Ex
 Bibl. ad
 dec. Mar.
 Magdal.*

M. I. K. P.

1997 KK 69
 AKC. 16/30

TE soboles æterna canam, Rex inclyte, Patris
 Summi, cui parent sidera clara poli.
 Te, DEVS alme, canam nec non crudelia diræ
 Quæ nostri causâ, funera mortis adis.
 Hinc canere incipiam: divini fomes amoris
 Adsis, & flatu segnia corda move.
 Namq; vigor noster, sine te & vis desinit omnis:
 Ingenium nutu statq; caditq; tuo.
 Suffice tu vires cantanti, suffice lingvam
 Quò patri, Nato, quò tibi surgat honos.
 Adsis ô summi virtus. Natiq; Patrisq;
 Adsis, & nostræ dirige vela ratis:
 Annue conanti per laudes ire tuorum,
 Deq; meo pavidos pectore pelle metus.
 Vere novo Solymis Paschæ lux testa redibat,
 Dum rubeo florent lilia mista croco:
 Frigoris aura minas acres dum ponit hyberni,
 Et nova de gravido palmitum gemma tumet.
 Æterni, Christus, patris immemorabile verbum,
 Urbis tùm Solymæ tecta superba petit.
 Tempus enim instabat, Christo subeunda cruentæ
 Quo fuerant summo fulmina dira necis,
 Quæis genus humanum, perijt quod labe parentis
 Primævi, eriperet carcere Tartareo;
 Atq; prius mortem subeat quàm, maximus orbis
 Salvator, fædus perpetuum instituit:

Instituit.

Instituit coenam, corpus quâ tradit edendum
Discipulis, quos hoc legit in orbe, suis:
Dumq; velut series poscebat, quisq; sedebant
Ad mensam, Christo prima tenente loca,
Vescuntur dapibus: sumit Crealia dona
Christus, discipulis & dat edenda suis.
Continuo fudit tales ex ore loquelas:
Corporis HIC panis pars quotacunq; mei est.
Quod trabe pendeat fixum, casusq; subibit
Mortalis miseri, dvraq; fata feret:
Et panas pendet fœdo pro crimine mundi,
Fiat vt æterno victima grata DEO.
Dixit: & ingenuo depromsit pectore grates
Æterno, cæli qui regit astra, patri.
His actis, tensâ disponit pocula dextrâ,
Pocula prædulci pulchra repletâ mero.
Et, pôclum meus est sanguis, qui criminis huius
Delebit mundi fæda piâcla, refert.
Hæc ait: & patri soluit de pectore grates,
Discipulisq; dedit talia iussa suis:
Hunc quoties editis panem, & cratere bibetis,
Immemores tempus ne sitis omne mei.
Atq; ubi finierat sacræ misteria cænæ,
Discipulisq; imo dixerat ore vale:
Trans Cedrontis aquas (Solymâ nam distat ab urbe
Non procul) it patri quò dare vota queat.

justifia

Hortus

Hortus adoriferis ubi erat cultissimus herbis,
Ad colles urbis consitus herbiferas:
Delicijs plenus, viridanti gramine plenus,
Plenus aquis, plenus fructibus atq; botris.
Quem subijt postquàm tristi pede, lumine tristi,
Corpore ferre suo quodq; paratus opus:
Supplicibus Patris veneratur nûmina votis,
Et ciet hos querulos corde gemente sonos:
O æterne pater, rerum suprema potestas,
Cujus homo vitæ munere munus habet,
Transseat, oro, calix hic â me, transeat oro,
Si sedet hoc animo, transeat, oro, pater:
Spiritus est præsto: verùm caro langvida, justam
Contra animi legem prælia multa ciet.
Dixit: adest turgens odijq; doloq; minister
Iudas, turba urbis cûi comes omnis erat.
Exoritur clamor, cursus, strepitusq; virorum,
Ipsâq; permultâ luce refulsit humus.
Haud secus instructus ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet, gladio & quilq; revinctus adest,
Iprior ad facinus Iudas animatq; sequentes,
Et tali comites instruit arte suos.
Oscula cui figam, vos hunc comprehendite, vos hunc
Ducite, vos huius fune ligate manus.
Fortè DEI natus converso lumine, retrò
Hunc videt, & spectat, quid petat atq; velit.

Quos

Quos tandem miti compellat, voce modestus,
Quid causæ vos huc, quodq; subegitopus?
Desierat: cæpit, Iudam comitata, caterva:
Iesum, qui Iudæ rex cupit esse novus.
Respondet brevibus, proles æterna parentis,
Ille ego, quem mirâ quæritis arte, loquor.
Turba nihil: neq; enim vocem viresq; loquendi,
Aut aliquid trepido pectore mentis erat,
Sed tremuit, ut per agros pastore abeunte balantes
Cum sylvis cernunt ire per arva lupum.
Christus at innocuus prostrato quærit ab hoste,
Adventus causam dicat ut ipse sui.
Vix bene desierat: cum gens inimica, recentem
Iudææ regem quærimus, ore refert.
Christus ad hæc: coram vobis, quem quæritis, adfuit
Me capite, at fratres hinc finite ire meos.
Proditor ex templò IESV, sub imagine pacis,
Rabbi, ait, & labris basia figit, ave.
Colluvies volat ad facinus perversa patrandum
Traditor ut primùm ligna nefanda dedit:
Comprêndunt IESVM: circumdant colla catenis,
Perq; sacras neſtunt vincula sæva manus.
Turpiter impingunt colaphos, & verbera Christo,
Impia, tartarei turba ministra lupi.
Nempe alius pede, pugno alius, contundit & urget,
Atq; modis alius mille nocere studet.

Discipuli

Discipuli interea, viso discrimine, mœrent
Viribus exhaustis cordaq; mæsta gerunt:
Et timidi dant terga fugæ, pedibusq; salutem
Quærun, sicut ovis territa dente lupi,
Qui fore se socium vitæ mortisq; ferebat,
Deficit, & mortis sulmina sæva timet.
Christus at ad Caipham victus perducitur, ulla
Cui nota nec fædæ labis iniusta fuit.
Adductum excipiunt alapis, & tempora Christi
(Proh dolor) immenso verberare sacra notant
Verbera ludibrijs miscent, & scommata flagris
Et blasphema suo verba furore vomunt.
Hic oculos turpat faciemq; sreatibus udis,
Purpureasq; tegit spurca saliva genas.
Sic tractando DEI natum, cum crimine noctem
Insomnem ducit nescia turba DEI.
Altera jam cælo motis Pallantias aſtris
Fulserat, & proprios Luna levârat equos.
Cum pariter coeunt juvenesq; senesq; frequentes,
Consultent Christo morte parare necem.
Aggravat insontem confictâ labe, facitq;
Mendaci sceleris quilibet ore reum.
Nec mora, nudatum tortores mastige sævi
Cædunt, & virgæ verberare membra petunt.
Tubere virgoso turpis, taboq; cruentus,
Ceu prænaret miserum, lûrida lepra, fuit.
Postquam

Postquam fessa manus tortorum à cæde quievit,
Atria Pilati gaudet adire cohors.
Vepribus è rigidis texunt, nimi à arte severi
Tortores, savâ spinea ferta manu:
Spinosis circum sacra cingunt tempora vittis,
Præsentent Regis quæ diadema pij.
Dumq; terebratur rigido caput histrice divum,
Temporibus guttæ sanguinis huius erant,
Mox cælum (dolor heu) sub imagine regis adorant,
Miscentes flagris scommata dira novis.
Alter mordaces eructat scurra cachinnos,
Illudens alter, rex pie, dicit, ave.
Alter arat faciem digitis, crinesq; decoros
Vellicat, in faciem & phlegmata sæda jactat.
Hæc ubi patrantur, Pilatus fortè misertus
Innocui, ad populum talia verba refert:
Quisquis ades miseri miserere, nec addito plura,
Nam sceleris purum non decet ista pati.
Nullum morte scelus dignum reperitur in isto,
Quod lædat legis vincula Mosaicæ:
Imò frui facitè hunc vitali lumine, diram
Nec cæci misero ferre studete necem.
Vix ea fatus erat, cuncti sic ore tonabant:
Dede neci, & celsæ fige repentè cruci.
Fige repentè cruci, & blasphemum solvere noli,
Ætherum qui se jactat habere patrem.

Lex,

Lex Moysis punit tales, mulctatq; severè,
Qui spoliant unum debito honore DEVM.
Vidit ut in populo prætor sævire tumultum,
Horruit, & subito talia dicta dedit:
Cõsilio dum vos possum compescere nullo,
Vestra, manu lotâ, pectora testor, ait:
Tollitis è medio justum & sine labe doloq;
Credite pro innocuo sanguine pæna manet.
Sic ait: atq; necis decretum flebile profert
Immeritæ, Christum tradit & inde neci.
Ergo ubi per vicos murmur volat hocce, Pilatum
Christo decretum triste tulisse necis:
Infelix Iudas sua crimina corde revolvit,
Consciis & Christi. se caput esse mali.
Haud animi compos, scelus insectatur acerbo
Hoc odio, & vitæ nescit habere modum.
Efferus arripuit locos preciumq; nefandum,
Protinus & templi limina sacra petit.
Talibus aggreditur scribas, templiq; ministros:
Heu quid commisi tæq; quatèq; miser:
Cum proprium vobis pacta mercede magistrum
Prodideram? ô facinus triste nephasq; graue
O scelus, infontis vitam cum sanguine perdo:
Sic queritur: precium triste iacitq; viris:
Advolat ad laqueum, subito trabe pendulus altâ
Ligni, sit stygio præda petita lupo.

B

lama

Iam tuba terribili refugam clangore per urbem
Incepit, tristes tympana dantq; sonos.
Vndiq; crescit onus pænæ, cumtilusq; pudoris
Christo, tum mortem qui subiturus erat.
Insona cæsariem septus nam vepre minaci
Procedit, faciem & spurca saliva tegit.
Per medios urbis vicos transibat onustus,
Extensæ gestans roborâ dirâ crucis.
Talibus opprobrijs Salvator percitus ibat,
Cui binus latro clausit utrumq; latus:
Cogitur & pænæ loca destinata miscellus
Tangere, dum dorsum triste premebat onus.
Talia dum patitur mæstræ loca tangit arenæ,
Cui sudore sitis guttura rauca premit.
Supplicium iam, colluuias, funebre celebrat
Impia, & affigit corpora dia cruci.
Tollitur in celsum sublimis styipitem IESVS,
Certa hominum Christus spes, viâ, vitâ, salus.
Continuo strident luxa compagine nervi,
Tensaq; vertebris membra soluta rigent.
Obrutus (ah) dirò scelerati crimine mundi,
Mox patrem supplex in sua vota vocat.
O æterne pater turbæ miserere furentis,
Quæ putat hanc vitam demere posse mihi.
Non tamen stolidi commissa placula labris
Equâ, ~~quæ~~ pendere lance sciunt.

msl

Dixe-

Dixerat. ecce, latus dextrum qui clausit IESV,
Supplice pendenti supplicat ore latro.
Atq; ait: Empyreï Rex mansuetissime regni,
Sis memor oro mei dum tua regna petes
Te dominum fateor, tibi me, TIBI, porrigo totum,
Auferat ô noxas mors tua, Christe, meas.
Mox implorantem verbis solatur IESVS,
Promittitq; viro regna beata poli.
Sors vbi nulla potest tristem miscere dolorem,
Verum perpetuò gaudia mille vigent,
Nonaq; jam piceï instabat clepsidra diei,
Pensilis in sævo stipite Christus, ait:
Heli mène fugis tanto in discrimine vitæ?
Numquid me gnatum despicias, alme pater?
Continuo turbâ orantem sublannat: Heliam
Orat, ut hunc dextrâ, non remorante levet.
Cernite nunc vigiles igitur Thesbiticus Heros
An veniat, Christo suppetiasq; ferat.
Æstivas tandem necit sitis arida fauces,
Clamat, hiant siccâ pendula labra siti.
Mox cum bile rubens nigrâ commiscet acetum,
Porrigit & nato, turba nefanda, DEL.
Ille autem tangens, summis absynchia labris,
Divino potus expuit ore datos.
Tali voci ferans mox voce silentia rupit,
Summum addo passis jam colophona meis.

Atq;

Atq; iterum solvens vocali gutture fauces,
Multo cum gemitu, talia verba dabat.
Spiritus ecce meus repetit fastigia cæli,
Summe parens, animam suscipe quæso meam.
Hæc ubi: dura quies oculos & ferreus illi
Urget somnus, obit diraq; fata necis.
Iamq; latus sæva violatur cuspide divum,
Et fallax corpus sauciat hasta sacrum:
Hic illicq; statim divi micat unda cruoris
Diffusi, subter quæ rigat omne solum.
Continuo cælum graviter tonat omne tumultu:
Percurrunt vastos murmura cæca polos:
Atq; statim torrens adyto fragor editis imo,
Fulgure disploso, templa sacrata quatit,
Per medium visa est dio mox carbasus ictu
Rupta patens nulli quæ fuit ante, patet:
Clasmatibus lapides, læsis per mutua petris
Strident, saxosæ dissili intq; petrae:
Busta patent passim tumulorum olisq; clangunt,
Florida & ingenti clade remugit humus.
Sol tegit auricomos nigro velamine vultus,
Et mæret fuscis Cynthius ater equis.
Exemplò turbæ solvuntur frigore membra
Adstantis, donec talia signa videt.
Mox omnes clara testantur voce, necatam
Esse DEI lobolem, quæ subit istud onus:

ip̄A

Intror-

Introrsusq; dolent justum interfecimus, aiunt,
Et quatiunt pvgnis pectora mæsta suis.
Et morientis opem seram, veniaq; medclat
Poscunt, fatentur crimina quisq; DEO.
Et jam tollebat moderatrix, Cinthia, vultus
Noctis, dum merfit gurgite Phæbus equos.
Ut condat tumulo crucifixi corpus, Ioseph
Accelsit, socius cui Nicodemus erat.
Atq; ubi ferali fixum de robore ponunt,
Vngunt balsameo membra liquore viri:
Involuunt tandem Cygneo corpora lino,
Et mandant tumulo debita membra putri.
Parcitur interea lachrimis nec fletibus ullis,
(Ecquis tum lachrimis abstinuisse queat?)
Ipse DEI natus, rerum cui summa potestas,
Innocuus suffert flebile mortis onus:
Fulmina non horret mortis violenta cruentæ,
Ut modo nos summi sistat in arce patris.
Namq; ob commissum primævi crimen Adami,
Essemus stygijs præda cremanda rogis.
Hostia sed propter nostram mactata salutem,
Ille est, ille iras lenijt, ille, patris:
Ille triumphatum fortis compescuit orcum:
Æqua solo posuit tartarei arva lupi.
O amor in miseros Nati, ô clementia patris,
O pietas, pietas maior anesse potest?

Heu

Heu miser huius ego quoq; non paucissima mortis
Pars, quam promundi crimine, Christus obit.
Ah doleo Christum me propter talia passum,
Nam proprio perdi crimine dignus eram:
Quid faciam miser ah? Christi me terret imago
De cruce pendentis, signaq; dira necis.
O Deus immenti stellata volumina cæli
Qui regis, atq; opus hoc, maximus, omne foves.
O miserere, DEVS, miseri fons vive salutis,
Nec sine cor propria labe perire meum.
Pœnitet ex animo peccati gurgite mersum,
Et cupio motu cor renovante frui:
Nec procul irato damnatum proijce vultu,
Sed regni hæredem me facito oro tui.
Optime Christe, meam, tua mors, precor, auferat,
Da sangvis noxas abluat ipse meas. (atq;
Advenient ut cum funestæ spicula mortis,
In tua salvificæ regna quietis eam
Tunc tibi nostræ ferent meritæ libamina laudis
Corda, tuum & vasto nomen in orbe canent.



ANTIPATHIA MVSTELLÆ ET BASILISCI
collata cum Christo victore & sathana victo:
scripta à Iohanne juniore Grillo à
Grillova Raconiceno.

MVstella ceu suavi necat Lybiæ incolam
Basiliscum odore, qui veneno turgidus:
Et arbores, et saxa rumpit invia,
Exurit herbas ipso & aspectu viros
Hac transeuntes vulneratos enecat:
Sic Christus æterni parentis filius,
Mortalium postquam piaret crimina
Pronuncians hæc verba: jam sunt omnia
Exacta, quæ sunt per Prophetas prodita:
Ipsam marinis vastiorem belluis
Sathanam peremit, spiritum superbiæ,
Ecclesiam ne, percitus libidine
Prava, repente possit odio perdere
Inexpiato, possit aut pios suis
Circumvenire fraudibus, neu ad lacus
Voraginosos præcipites queat dare.
Ergo salutis unico auctori Deo
Ortusq; finisq; inscio, grates pias
Demus, Draconis qui maligni faucibus
Nos liberavit & salutem contulit
Credientibus, & æterna cæli gaudia.



IN GLORIOSAM
RESURRECTIONEM, IESU
CHRISTI, DOMINI ET
SALVATORIS NOSTRI.

SCRIPTVM
à Iohanne Zlatholavvek.



Witeberga, Typis Matthæi Velaci:
ANNO M. D. XCI.

CARMEN
IN GLORIOSAM
RESURRECTIONEM, IESU
CHRISTI, DOMINI ET
SALVATORIS NOSTRI.
SCRIPTVM

à Iohanne Zlatholavvek.



Witeberga, Typis Matthæi Velaci:

ANNO M. D. XCI.